

igitur sit vulnus in pulmone an nō, nō nego neq; affirmo. Sed potius videtur quōd non, q̄a vulnus est circa secundam costā, quousque non extenditur pulmo. Sed istae sunt coniecturae, processu tēporis videbimus veritatem, sanguis est circa diaphragma, quod ne congeletur videndum est. & cum hodie accessi nullum animaduertere potui pulsū, adeo vt ipse etiā vulnus letale crederem. Videndum igitur si quid sanguinis ibi remansit, vt incidatur & expellatur. Quod ad medicinas attinget, Hippocrates & Galenus in vulneribus pectoris ab omnibus restringentibus cauendū scribunt, praeterquam ab oxymelite. Nam illud solū non exasperat pulmōnem, ideo eo hodie contentus essem, & quoad cibum, iudico sufficere hodie panatellam. De altero qui in capite vulneratus est, quoniam sanguinis fluxus est restinctus, melius sperabimus: cum praesertim vulnera ex sese non letalia esse intelligamus. Venam nō incidendam iudico, quia plurimum sanguinis effluxit, citabitur quoq; panatella, impositum est clystere pro diuersione vtrique, & quia Andreas sitiebat admodum, ordinatus potus ex ordeo & saccharo, & oxymelite, & rubea tinctorum, quae sanguinem concretum excerneret: iussus etiā in eodem latere recumbere, vt sanguis ex vulnere effluere posset. quod & factum.

## CONSILIVM CCCLXXXI.

Pro eodem.



**Q**VINTA Iunij, quae quinta etiam erat dies accepti vulneris, corripuerat eum ingēs tussis, expuerat sanguinem vsque ad 6. 3. & amplius, & aperto vulnere inde etiam aliquid effluerat. D. Phrisimelica exhibuerat cassiam, vt leniret aluum duriorē, addiderat aliquid boli Armeni ad exiccādum pulmōnem, quem vulneratū arbitrabatur, eo quōd sanguis qui effluerat ex pulmone, ex parte viuīdus & spumofus esset: adiecerat etiam aliquid rubeae tinctorū, si quis adhuc restaret sanguis grumosus aut congelatus. Postera die vocati ad Collegium Mōtanus & Phrisimelica à Chirurgis, & consulti, an esset incidendum vulnus, & paulo amplius aperiendum, & verq; Chirurgus arguebat quōd sic, propterea quōd metuerent, ne si materia retenta non posset liberē exire, generaret inflammationem, & quidem id faciendum citō antequam dilabatur virtus. Phrisimel. etsi pulmōnem arbitraretur laesum, nolui tamen admittere vltiorem incisionem, quōd orificium satis amplum ad immittēdas tentas videretur, & esset periculum de dolore in illis partibus sensibilibus admodum, ne is attraheret materiam, & causaret inflammationem nouam. D. Montanus ita ratiocinabatur: Duo nobis proponuntur quārenda: quae dispositio sit vulneris intrinsecus, seu quo terminetur, & quale ac quantum sit extrinsecus, id est, de principio & fine quārimus, & vtrunque nos dubios facit, & in cura & in prognostico. Nō dum determinare possum, an veniat ad substantiam pulmonis an non, cum videam & satis etiam explorarint Chirurghi, vulnus per transversas partes inflictum à dextra versus sinistram, non rectā

**A** à parte anteriori pectoris ad posteriorem, quod satis apparet ex impositione tentae, & idē vulnus ad secundam costam est valde aedito & alto loco: ideo suspicor pulmōnem nō esse laesum. Deinde si laesus esset pulmo, laesus esset superior locus, ac esset vulnus profundum in eo, & laeuissima sequerentur accidentia, ac inflammatio etiam, ex qualibet leui causa, quia pulmo, propter multā suam humiditatē (siue substantifica ea sit, siue excrementalis & aduentitia, vt dubitat Auicenna) in eo existentem, aptissimus est ad putredinem, vt in multis locis testatur Gal. Item 5. Met. dicit Gal. quōd ex parua vena rupta in pulmone, tātū sit periculi ab inflammatione, vt post triduum neminem viderit curatū. Quomodo igitur hic vulnerato pulmone tāto vulnere potuisset purdura re tandiū? est hodie quintus dies completus, & nō apparet inflammatio facta post vulnus. Quōd autem exeat sanguis ex vulnere, non est mirum, est vulneratus musculus, in quō venae sunt semper, quae vnā laeduntur, & nihil frequētius, quā ex vulnere sanguinem fluere. quōd autē sanguis ille spumofus videatur, neque id mirum est: videtis aerem ingredi per vulnus tanta copia, vt egrediens iterum extinguat candelas, huic cum permiscetur sanguis, fit spumofus, cum tali agitatione excernatur. Quōd autem per tussim exeat, fit, quia trāsit ad pulmōnē, & illud solū est quod metuo, ne sanguis ille erodat illā exteriorē pelliculā pulmonis, & ad substantiam pulmonis pueniat, & in ea remaneat, ac tandē putrescat, ac ita sequatur phthisis, maximē in iuvene humido & pingui, in quo abūdat materia, & meatus sunt angusti. Credo igitur pulmōnē non vulneratū, sed sanguinē, ex laesis partibus ad eum defluere, & postea per tussim expelli, nec habeo signum adhuc, substantialiter laesum esse pulmōnem ostendens. Cum igitur terminetur vulnus ad pulmōnem, vt credo, indigemus maximē exiccantibus & abstergentibus sine adstrictione, quia totum periculum ei est à sanguine, qui non potest exire, & congelari facile retentus poterit, quem cum rebus astringentibus faciemus crassiores, & minus obediētem: consolidabimus etiam locum citius quā oportet: cauere itaque ab astringentibus, & adhibere potius astringentia, quae essent subtilis substantiae, & exiccarent vnā, quo prohiberent putrefactionem in membro, alioqui humido, ea tamen tenuis substantiae esse velim, & minimē erodentia, ne excitarent tussim. Vterer igitur aqua fontis mixta cum vino albo tenuissimo, quia tale est leuis substantiae, & habet vim penetrandi, nec ita potens est, vt calefaciat, cum tenue sit & dilutum etiam. In eo coquerem hordeum, quod abstergit & exiccatur, sed sine erosione & adstrictione, adderem rosas in aliqua quantitate, quia Galenus lib. tertio de Simpliciu facultatibus, capite de rosis, dicit eas habere adstrictionem lenem, scilicet in primo gradu, quae nō erodit, nec astringit nimium, sed adiuuat penetrationem & exiccatur. Vellem etiam ponere aliquid de Betonica, quae exiccatur & corroborat membra, & pectori conuenit. Adderem & rubeam tinctorum, sed in modica quantitate, si quis restaret sanguis grumo-